

nae — praesentibus venerabilibus viris dom. Caspar Koyne canonico ecclesiarum Wurzinensis et Budissinensis et Johanne Hecht vicario episcopali in eccl. Misn. testibus etc.

Signum Et ego Georgius Reinhardi de Luthewicz clericus Misn. dioc. publicus sacra notarii. imper. auct. notarius etc.

Orig im Stiftsarchiv zu Meissen.

No. 938. 1431. 20. Sept.

*B. Johann schlichtet zwischen dem Capitel und den Vicaren der Domkirche obschwebende Zwistigkeiten, untersagt die von den letztern eingegangene geheime Verbindung und trifft einige Anordnungen wegen des Kirchendienstes.*

Nos Johannes — episcopus Misnensis — ad tollendam — omnis dissensionis materiam inter decanum capitulum et vicarios ecclesiae nostrae Missnensis super nonnullis articulis et casibus nobis propositis et informationibus desuper receptis praehabita matura deliberatione pro bono pacis concordiae et unionis, invocato Christi nomine ordinamus laudamus pronunciamus declaramus et statuimus, omnes vicarios assumptos et assumendos obligari ad manualementem obedientiam domino decano praestandam, prout ab antiquo tentum esse dinoscitur, sub forma subscripta, nisi ex speciali causa pro futuris temporibus nos vel successores nostri super isto aliud decreverimus vel decreverint statuendum vel pronunciantum. Sequitur forma: Ego . . facio vobis domino decano et vestris successoribus canonice intransigentibus obedientiam ad gratiam et iustitiam, quam obedientiam una cum statutis et consuetudinibus ecclesiae pro posse et nosse sub bona mea conscientia fideliter promitto observare. Ordinamus insuper, laudamus pronunciamus declaramus et statuimus de facto praesumptam fraternitatem corpus sive collegium per vicarios ecclesiae nostrae Misnensis esse in eadem non debere, factamque abolendam fore penitus et omnino nec eis in antea eam tenere habere et fovere licere, iuramentaque de ea occultanda et confovenda desuper praestita tamquam illicita non tenere imo relaxanda esse et absolvenda; relaxamus et absolvimus statuentes et ordinantes, ut omnes vicarii praesentes et futuri iurent, eam de cetero non velle tenere habere et fovere sub poena periurii evitanda: Ego . . iuro vobis domino decano et vestris successoribus, quod nullam ligam fraternitatem conspersionem corpus vel collegium in ecclesia Misnensi vel contra eam aut capitulum seu eius rationabiles consuetudines seu legitimas observantias faciam aut taliter factis consentiam, et quod molientibus contra praemissa non praestabo scienter consilium auxilium vel favorem, sic me deus adiuvet et haec sancta dei evangelia. Insuper census redditus proventus distributiones praesentias institutas ac praestationes annuas fraternitati sive collegio tali, ut praesumitur in communi vel alias quoquomodo, ut sic applicata comparata donata et legata non valuisse et ob hoc a tali collegio vicariorum auferenda esse, per nosque aliis honestis usibus et licitis applicanda, procuratores constitutos ad distribuendum vel ministrandum de dictis bonis esse revocandos et revocamus, nolentes talia in antea fieri publice vel occulte. Similiter nec pro his praedictis vicarios convenire ad communes habendos tractatus, capitula vel singulares conventiones nisi de scitu et consensu decani et capituli nostri, ligas con-